

Facultatis Medicae decani Jo. Hadriani Slevogtii ... prolusio inauguraluralis, de exceptionibus medicis, sive permissione prohibitorum, et prohibitione permissorum.

Contributors

Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.

Publication/Creation

Jenae : Literis Ehrichianis, [1700]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p7hzmz9jr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

FACULTATIS MEDICÆ DECANI

JO. HADRIANI SLEVOGTII

MED. D. ANAT. CHIR. ET BOT. P. P.

ITEMQVE MED. DVC. PROV.

PROLVSIO INAVGVRALIS,

DE

**EXCEPTIONIBVS
MEDICIS,**

SIVE

**PERMISSIONE PROHIBI-
TORVM,**

ET

**PROHIBITIONE PERMIS-
SORVM.**

JENÆ,

Literis EHRICHIANIS.

FACULTATIS MEDICÆ DECANVS
JO. HADRIAN. SLEVOGTIVS,
MED. D. ANAT. CHIR. ET BOT. P.P.
ITEMQVE MED. DVC. PROV.

B. L. S. P. D.



T neque moralis philosophiæ, neque civilis prudentiæ regulæ adeo firmis innituntur thesibus, quin contra illas ex qualicunque personarum, locorum, temporum, aliarumque circumstantiarum mutatione exceptiones inveniri possint: ita pleræque de rerum sublunarium causis physicis formatæ propositiones fluxæ sunt & instabiles; ut quas heri de illis constructas demonstrationes auctoritate sapientum, æternisque & immutabilibus principiis fultas credidisses, hodie per argumenta æque probabilia labefactatas ruere, & sic unam veritatem alteram antiquare, novamque veterem plane abrogare videamus.

Haud dispar fatum premit quoque sacram *Medicinam*. Cum enim hæc ex philosophia naturali hæctenus non nisi mancas phænomenorum naturalium explicationes acceperit; hinc necessario & ipsa canonum ἀνελεγόντων non minus, quam ἀνελεγομένων copia gravatur.

Sermo concernit in præsentia tam *theoriam* quam *praxin* huius artis. Vtraque enim quasi per ætates, hominum mutationibus analogas, progrediens, pro moribus seculorum, & ingeniis docentium, variis induta formis semper prodiit, & multo aliter olim discentibus tradita fuit, cum, relicta Empiricorum ætate puerili, ab Hippocrate epheborum numero assereretur; iterumque aliter, ubi per Galenum ab Empiricorum

rum & Methodicorum hallucinationibus repurgata, diu juveniliter floureret. Imo hodie tota ars adhuc mira varietate habitus incedit: & quamvis iis, qui sibimetipsis blandiuntur, suosque ingenii foetus una cum Minerva ex Jovis cerebro pronatos esse arbitrantur, ad virilem maturitatem pervenisse videatur; re ipsa tamen ita comparata est, ut potius ad istius ætatis mores relapsa videatur, quæ, custode remoto, cereum animum in omnes formas flecti sinit, & præcociter sibi sapiens, cum asperitate rectius monentes spernere solet.

Postquam enim Medici venerandam Galeni atque Rhasis autoritatem vilipendere, & simul Physici de Aristotelis infallibilitate dubitare ausi sunt, seque ipsos à mancipiorum conditione vindicantes, libertatem cogitandi agendique aucuparunt, jam ad alterum extremum itum est; ut scilicet quilibet sibi, pro ingenii sui capacitate, quodlibet fingendi, plenam potestatem datam esse arbitretur. Quod ipsum tamen hætenus cum admodum exiguo utriusque disciplinæ incremento factum est: dum cerebra discantium farragine equidem novarum sententiarum adimplentur; ad genuinam autem & perennantem veritatem, stabilesque de rebus naturalibus & medicis conclusiones concinnandas, vix tanti momenti auxilia accipiunt, ut, horum intuitu, antiquorum sapientia tam contumeliose fastidiri debeat.

Testantur autem haud obscure de infirmitate ejusmodi principiorum tot altercationes neotericorum, & mutuarum reformationum sententiarum recentiorum: ut tyro quidem incertus hæreat, cuinam sectæ nomen dare debeat; alius autem, penitus inspiciens momenta priscae atque novæ medendi rationis, & ex utraque speranda commoda accuratius expendens, fere malit in regia veterum & per tot secula probata via progredi, quam pedem in novam & nondum satis tritam semitam, sine certa lucrispe, inferre.

Nascuntur scrupuli ejusmodi potissimum in mentibus eorum, qui praxin medicam non in cathedra, aut commentario, ubi secundum quælibet principia, (sive ea sint antiqua Aristotelico-Galenica, sive nova Paracelsico-Helmontiana, & Gassendino-Cartesiana, sive omnium novissima, & ex omnibus excerpta Eclectica & Syncretistica) ex ore disertis Professoris in aures auscultantium, vel ex calamo in chartam, incurabilium morborum curationes, feliciter & tanquam ex fonte, profluunt: sed in ægro, coram jacente, & voce miserabili de segni operatione pharmacorum conquerente, exercere tenentur. Ibi enim haud raro magis arduum est opus, τὸ ὄλε morbi, quam τὸ διόλε explicare: ubi Medico nec ex voce decumbentis, nec pulsu aut urina, ipsisque circumstantibus haurire licet, quod satiet animum; ut nempe sciat, hunc & non alium potius affectum, ex hac & non alia forsitan causa ortum, nunc talia non vero alia remedia requirere.

Frustra tunc invocantur recentia ejusmodi & quasi modo genita numina, & piget, plus in horum speciosis hypotheseibus, quam veterum oraculorum fide posuisse: cum tamen constet, ab his potissimum fluxisse, quicquid boni in semiotica & methodo medendi possidemus.

Hoc itaque potius agant, quibus antiqua sordent, ut absolvant, quæ veterum industria perficere nequivit, ut demum firmæ regulæ ponantur, quas hominum sanationi incumbentes, absque contradictione sequi possint.

Cum enim nemo dubitet, *praxeos nervum atque animam esse methodum medendi*, hujus vero summum artificium in accurata indicantium cognitione & justa eorum dispositione consistere, felicemque inde indicatorum inventionem & applicationem presso pede sequi: difficillimum simul esse constat, inventis indicantibus & jam opem sollicitantibus, medicamenta indicata accommodare, ubi ex adverso obstant

obstant *contraindicantia*, quæ manum providi Medici violenter retrahunt, eaque vel committere vel omittere jubent, quorum contrarium ab initio sese commendaverat.

Exempla talismodi occurrunt passim, quando vel propter connatam ægri *ἰδιοσυγκρασίαν*; vel præter naturam acquisitum statum corporis peculiarem; vel ob morositatem ejus ac consuetudinem à puero; vel denique propter emergens aliquod novum symptoma, ejusmodi res concedi debent, quæ in casu simili per leges medicas prohibentur; rursusque talia vetantur, quæ, ceu adiaphora, alias haud ægre conceduntur.

Ex his quædam communia sunt, quædam rarius occurrunt, ut de eorum nonnullis in utramque partem disputari posset. Sic quamvis noxia sit febrientibus obstructa alvus, ejusque reclusio & concedatur passim præcipiaturque: nemo tamen eam absque præsentissimo vitæ periculo tentabit, ubi in variolis expellendis natura occupatur. Venæsectio juvat equidem febricitantes: sed post diem tertium vel quartum in malignis statim inter prohibita. Eandem gravidis periculosam judicat Hippocrates, S. 5, aph. 31, cum tamen hodie per omnes menses cum fructu concedatur. In pedibus secant venas, qui menstrua cicere volunt: sed interdicens esse junioribus ista loca, docuit plus vice simplici recurrens observatio, à varicibus postmodum gestationis tempore affligi crura; quia natura semel sibi apertam portam denuo recludi postulat.

Par ratio est emeticorum, quæ licet stomachum egregie à cruditate liberent, complures tamen contradictiones sustinent; ut nec hæmoptycis, nec herniosis, nec uteri prolapsam patientibus præscribi soleant, nisi aliud summa svadeat necessitas. Comederant enim ante triennium octo personæ, unius familiæ, fungos malæ notæ, & cum jam anxia cordialgia, vertigine, obscuratione oculorum, tremore ar-

tuum, sudore frigido & nausea inani laborarent, per tartarum emeticum, in multa aqua tepida dilutum, cum fructu purgabantur; quamvis tres ex istis, ob supra recensitos morbos contraindicantes, ad vomitoria non magis aptæ essent, quam gravidæ in ultimis gestationis mensibus esse solent. Sed ne has quidem ab iisdem immunes manere posse, præter alias, nos docuit honesta fœmina, quæ toties cordialgiam tollerare cogebatur, quoties pernæ esu appetitui gratificata erat; à qua tamen ipsam vomitus, per digitum faucibus immissum excitatus, facile liberabat. Cum vero sub finem octavi à conceptione mensis, ex consveto errore diætæ, denuo acerbissimo stomachi dolore torqueretur, multaque remedia frustra adhibita essent, nec gulæ titillatio ventriculum evertere valeret, tandem jam laudatum emeticum antimoniale in usum vocare opus erat.

Nostrates vinum à puerperis & lactantibus longe remonent: ne istis noceat, ceu vulneratis & febribus obnoxiiis; has vero lacte privet. Sed aliter solent facere, qui suis, statim post enixum, bonum ejus haustum offerunt; ut purgamenta uterina rectius procedant, & sic dolores post partum avertantur; vigetque inter mulieres Helvetiæ opinio, haud absque potu vini lac produci; ut proinde earum quaedam id audacter, vilissimo licet pretio emtum, largiter ingurgitasse viderimus. Similiter nec apud plebem matres se patiuntur persuaderi, ut pueris non amplius vinum porrigant, quando variolis incipiunt laborare: cum id ætati huic & imminenti febricitantæ parum proficit.

Lacte interdixit Cous febricitantibus, S. 5, aph. 64: quis vero ipsis non concedet ejus potum, ut in stranguria, ex cantharidibus, ipsis applicatis, suborta, solatium accipiant. Ambrata, moschata similisq; farina odorifera mulieres plerasq;, & viros quoque hypochondriacos nonnullos non æque, ac male olentia,

tia, inque his castoreum inprimis & asam foetidum, ferre posse, est notissimum: sed dantur tamen sequioris sexus individua, quæ læduntur à castoreo, & contra ea à svavioribus reficiuntur. Tormina parturientium sunt nonnunquam præmatura, & probe distingvenda à legitimis. Illa enim ocysime sedari debent, per carminativa, anodyna &c. nisi ex partu difficili matrem cum foetu perdere voluerimus. Hæc vero sunt conatus naturæ, foetum expellentis, & prohibent sistentia; quamvis primiparæ nonnunquam talia postulent; sed augenda potius ea sunt per medicamenta, ubi langvent & parcius redeunt. Nonnunquam tamen conceduntur sopientia, ut v.g. per essentiam theriacalem & anodynam, theriacam item cœlestem & olea paregorica, nimios, & interdum jam per unum, duos, tresve dies frustra continuatos anxios labores mitigemus; donec parturiens vires recollegerit, foetusque situm acceperit commodiorem; unde enixus postmodum fit expeditior, ut quandoque, ope trium vel quatuor validiorum conatum, quadrantis horæ spatio absolvatur.

Quod dicemus de arsenico, veneno isto erodente, & viscera colliquante, naturæ adverso, & merito à gravissimis autoribus reprobato; quamvis ab Agyrtis ad ʒʒ & ultra innoxie bibatur. Sed nihilominus tamen ipsi locus conceditur inter febrifuga, estque adversus tertianam & quartanam euporiston, & specificum quasi, reliquis omnib9 certitudine effectus palmam præripiens. Modo vitentur corpora jamdudum cachectica, phthisticaque, aut ad vomendum minus idonea, & detur in dosi parva, ad gr. j, vel unum cum dimidio, cum theriacæ Andromachî aut cœlestis justa portione, & multo vehiculo simplici, die intermissionis pariter ac paroxysmi, haud diu ante accessionem, haud in principio morbi, & comitatum aliis convenientibus, balsamicis, amaris, roboranti-

rantibus, abforbentibus, non æque salinis. Possumus nominare in instanti minimum quinquaginta personas, feliciter à duabus vel tribus dosibus sanatas, & adhuc sine ulla labe, ab arsenico derivabili, viventes. Phænomena ejus usum sequentia non sunt ejusdem qualitatis. Sunt qui per plusculas horas nausea, & quadam singulari molestia circa præcordia inde afficiuntur, alii citius & post horæ lapsum quietem recipiunt. Nonnulli vomunt, quidam ad latrinam pelluntur, multi vix inde male afficiuntur. Dederamus ante quinque annos uxori Joannis Starkii, Fabri, bolum pro duabus dosibus, tria grana arsenici continentem: cujus partem dimidiam mater assumebat, dimidium autem alterum filius sexennis, clam matre, devorabat, absque ullo inde sequente incommodo, nisi quod ardorem aliquem, quasi à pipere, non diu durantem, se in faucibus percepisse diceret.

Sufficiant hæc exempla, ad ostendendas varias regularum medicarum exceptiones contraindicantes, tumultuarie recitata; quibus adhuc unum itemque alterum problema practicum subjunxissemus, incerti, an expeditius, qui modernorum dogmata sectantur, quam antiquis adhuc faventes, responsuri sint: nisi alia restarent expedienda, quorum occasione hæc voluimus præfari.

Nimirum cum clarissimus & honorum doctoralium dignissimus CANDIDATUS,

JOAN. JACOBVS BAIERVS,
Fenensis,

futuro die Veneris de CAPILLIS publice & solenniter sit disputaturus, mos bene receptus, & ratio officii mei præsentis postulant, ut laudatissimum hoc institutum decenter significetur,

ficetur, simulque historia studiorum Candidati nostri breviter recenseatur. Natus est Jenæ, d. 14. Jun. A. O. R. MDC LXXVII. Patre quidem viro summe reverendo, D. JO. GVILIELMO BAIERO, Theologo excellentissimo, primumque in hac, post in Halensi Academia P. P. famigeratissimo, tandem Vinariensium Ecclesiarum Superintendente Generali longe meritissimo; sed, cum irreparabili orthodoxæ religionis nostræ damno, in flore ætatis è vivis sublato. Matrem habuit ANNAM CATHARINAM, consummatissimi Theologi, JO. MVSÆI, filiam, Matronam, dum vivebat, pietatis, prudentiæ & humanitatis laude admodum conspicuam. Curarunt autem optimi parentes sedulo, ut nostri animus statim à teneris pietate & bonis literis imbueretur. Quapropter ipsum primum informationi diversorum Præceptorum domesticorum, postmodum autem præclarissimi Fac. Phil. Adjuncti, & Scholæ Senatoriæ Rectoris meritissimi, M. JO. LAVTERBACHII commiserunt: cujus fidelis ad studia humaniora manuctio, per aliquot annos continuata, effecit, ut mature altioris indaginis studiis aptum redderetur ingenium, mira solertia & rara in apprehensione rerum utilium felicitate, morumque suavitate præditum.

Receptus in ordinem Studiosorum, sub finem anni MDC XCIII. Rectore Magnifico, D. FRIDEM. BECHMANNO, Theologo incomparabili, Seniore hujus Academiæ gravissimo, animum non ad Medicinam solum, sed simul etiam accuratam Philosophiæ cognitionem applicavit, inque Mathesi, Physica ac Logica viros & Professores celeberrimos, SCHMIDIOS, HAMBERGERS atque TREVNEROS haud perfunctorie auscultavit. In botanicis secutus est B. D. WOLFFIVM, & D. CHRISTOPHORVM GVNTHERVM SCHELHAMMERVM, hodie Professore Kiloniensem primum celebratissimum.

Seorsim autem veneratur magnif. D. WEDELII dexterrimam informationem, quam publice pariter ac privatim in plerisque theoriæ & praxeos Medicæ partibus utilissimam expertus est. Nec silentio præteriri patitur, singulare illud emolumentum, quod ex humanissimis colloquiis & solidis discursibus magnif. D. CRAVSII studiis suis accessisse gratus testatur.

Tantium virorum doctrina solidissima ultra quadriennium innutritus, illustrem Fridericianam petiit, & ibidem quoque prænobiliss. & excellentiss. Professorum, Fautorum meorum æstimatissimorum, doctrina haud impari successu usus est. Deprædicat autem inprimis D. HOFFMANNI accuratissimas prælectiones in materiam Medicam, & Collegium casuale, nec non demonstrationes physico-mathematicas; dignisque simul laudibus prosequitur egregia experimenta chimica, quæ D. STAHLIVS peculiari collegio, summo cum applausu, exhibuit.

Vt autem tot salutaria præcepta, ex ore Doctorum suorum hausta, intimius sibi applicaret, non minus hic, quam Halæ, cum privatos intra parietes, tum in auditoriis publicis crebro opponentis & respondentis munere fuit functus, & ubiq; encomia eximie docti modestique Philiatræ reportavit. Nominabimus autem tantum typis exscripta specimina; quorum primum de *Excidio Sodome*, in Halensi, alterum de *Transitu Israelitarum per mare rubrum*, in nostra Academia, sub præsidio dilectissimi sui Fratris, M. JOH. GVILIELMI BAIERI, Facultatis Phil. Adjuncti præclarissimi vendilavit. Tertia vice octavam disputationem Exercit. pathol. therap. magnif. WEDELII, & mox eod. præside doctam de *Ambra* diascepsin defendit: quibus aliam, sub moderamine HOFFMANNIANO habitam, de *Saliva necessaria inspectione* superaddidit.

Jactis itaque egregiis fundamentis, sub initium veris,
anni


anni præteriti, discessit quoque Academias, (postquam in vicinis Lipsiensi, atque Erfurtensi Machaoniæ artis Antistites celeberrimos jam ante salutasset) Kiloniam puta, Rostochium, Pernaviam in Livonia, Regiomontum & Wittebergam videre decrevit, & ubique singularem benevolentiam doctrina & humanitate maximè conspicuorum virorum expertus fuit.

Tandem ante paucos menses patriis laribus redditus, ab amplissima Facultate Philosophica nobili *LAVREA MAGISTERIALI* exornatus est; cum paulo ante à nostro Collegio, haud sine gratulatione, in numerum Candidatorum receptus esset, & quidem me interprete, cui satis superque innotuerat indoles insignis hujus Juvenis, quanta sedulitate singulas Professionis meæ partes, me præsentem & videntem, pertractaverit, quantaque alacritate animi judicii que acrimonia, domi æque ac publice, sub meo præsidio discussioni expositas theses impugnaverit defenderitque.

Superavit autem Candidatus noster jam duo privata examina, & ex decreto Collegii nostri perendie, DEO volente, Præsidio *CRAVSIANO* munitus, cathedram publicam conscendet.

Quem actum ut Magnus Dominus Rector, Comes Illustrissimi, Proceres Academiae, Hospites omnium ordinum honoratissimi, inclytusque commilitonum ordo præsentia sua solenniorem reddere velint, est quod submisit, officiosissime & amice ab ipsis peto. Dab. sub. Sigill.

Facult. d. XXVIII. Maji, M DCC.



L. S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

